

4^o Théol. 1291

Oetenier

W

416 224 242 500 19



**THESES
TO - THEOLOGICÆ
EX LIBRO II. SENTENTIARUM,**

SVB PATROCINIO
BEATI PETRI REGALATI
FRANCISCANI
NUPER IN VRBE
CONSVENTO RITV FESTIVO
SANCTORVM CATALOGO
INSERTI

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITÆ

In Conventu & Studio Generali Ingolstadiensi FF. Minor.
S. P. Franc. Reform.

Die prima Mensis Julii.

PRÆSIDE P. F. DIDYMO OCTENIER, ibidem SS.
Theologiae Lectore ordinario.

DEFENDENTIBUS P. F. HOSPITIO HIBLER, & F. JUVENTIO
MAGOLD, ejusdem Ordinis & Studij.

CUM LICENTIA SUPERIORUM

Typis, Joannis Pauli Schleig, Typogr. Academ.



Univ.-Bibl.
München



I.

Angelorum existentiam fides docet ; ratio tamen naturalis non demonstrat. 2. Sunt creati simul cum mundo corporeo , 3. Et probabiliter in Cœlo empyreo. 4. Sunt substantiae mere spirituales , physicè simplices , incorruptibiles , 5. Atque ex natura sua immortales.

II. Angeli specie differunt non solum ab anima rationali , 2. Sed etiam aliqui eorum inter se : 3. Sunt tamen possibles , 4. Imò defactò probabilius dantur plures Angeli solo numero distincti.

III. Angeli sunt in loco ; 2. Non tamen existunt in eo formaliter per suam operationem formaliter immanentem & virtualiter transeuntem , 3. Sive dein quà effectivam , sive quà applicativam sui ad locum : 4. Sed ratio fundamentalis essendi in loco est ipsa Angelorum essentia , limitata ad non esse ubique , posita sive à Deo , sive à propria virtute motrice sub aliqua superficie : 5. Ratio autem formalis essendi in loco est relatio ubi , seu ubicatio passiva , definitiva.

IV. Potest Angelus naturali sua virtute existere in loco inadæquato , 2. Imò non habet determinatum locum quoad parvitatem ; sed semper esse potest in minori & minori loco divisibili : 3. Nequit tamen naturaliter esse simul in duobus locis adæquatis , 4. Nec in duabus inadæquatis discontiguis ; 5. Supernaturaliter tamen utrumque fieri potest: 6. Sic etiam , & quidem naturaliter , possunt plures Angeli esse in eodem loco etiam inadæquato.

V. Angeli possunt se ipsos movere localiter , per propriam scilicet potentiam locomotivam : 2. Possunt etiam movere localiter alias creaturem tam spirituales , quam corporeas . 3. Eorum motus non solum potest esse continuus , & successivus , 4. Sed etiam instantaneus , ita ut in unico instanti reali temporis possint occupare

alium locum integrum, & adæquatum; 5. Quin tamen naturaliter se movere possint de loco in locum non pertransitō mediō proprieta- li. 6. Motus localis formaliter est in ipso Angelo.

VI. Intellectus in Angelis est agens & possibilis: 2. Potest res ordinis naturalis cognoscere per species intelligibiles aquisitas à rebus non solum immaterialibus, 3. Sed etiam à materialibus: 4. Ha- buerunt tamen Angeli ab initio creationis suæ infusas species natura- rum in hoc universo existentium, 5. Ac etiam multorum indivi- duorum in particulari, sed non omnium.

VII. Intellectus Angelicus specie distinguitur ab intellectu hu- mano; 2. Est nihilominus discursivus circa plurima objecta, non so- lùm illa, quæ contingenter, sed etiam circa aliqua, quæ necessariò cum causis suis connectuntur. 3. A fortiori cognitio Angelorum po- test esse complexa tam per compositionem, quam divisionem.

VIII. Angeli naturaliter cognoscunt futura necessaria, natu- raliter non impedibilia, 2. Non item futura strictè contingentia. 3. Spectando vires intellectus Angelici, & physicam naturam secreto- rum, possunt Angeli naturaliter cognoscere secreta cordum tam ho- minum, quam Angelorum actu existentia. 4. Possunt insuper, quan- tum est ex se, solis naturæ viribus, & concursu Divino generali, evidenter & intuitivè cognoscere non solum effectus quoad modum, 5. Sed etiam quoad substantiam supernaturales, & qui pertinent ad mysteria gratiæ, quatenus creatis entibus constant, & quoad eorum entitatem absolutam.

IX. Angeli verè inter se loquuntur; non quidem per signa ma- terialia, vel spiritualia distincta à speciebus, 2. Nec per solam ordi- nationem suorum conceptum ad invicem: 3. Sed per physicam ex- citationem, quæ diversimodè fieri potest. 4. Datur quoque vera il- luminatio inter Angelos, estque species locutionis, atque regulari- ter fit à Superioribus ad inferiores; 5. Quamvis absolute etiam op- positum contingere possit.

X. Voluntas Angelorum non est ex natura sua inflexibilis; po- test proin actum etiam cum plena deliberatione semel electum retrac- rare. 2. Omnes Angeli in primo creationis suæ instanti acceperunt grati-

gratiam sanctificantem , 3. Ad quam se per proprios actus disposuerunt , 4. In quo instanti alias etiam peccare potuissent , 5. Aequè potentia morali , quam physicā .

XI. Primum Angelorum peccatum non fuit superbia formalis & strictè dicta , sed philautia , seu luxuria spiritualis circa propriam excellentiam . 2. In illa mora , quæ inter primum peccatum & damnationem eorum intercessit , potuissent salutarem agere penitentiam . 3. Dæmones verè quidem cruciantur ab igne infernali , sed intentionaliter , & per alligationem tam localem , quam objectivam .

XII. Gratiæ actualis interna est auxilium supernaturale creaturæ rationali transeunter inhærens , à Deo gratuitè concessum ad salutiter operandum , & resistendum temptationibus . 2. Consistit in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis , à Deo speciali concursu productis . 3. Influxus gratiæ in actus salutares , ad quos datur , non est physicus , sed tantum moralis .

XIII. Homo lapsus potest quidem sínè gratia supernaturali exercere aliqua opera tantum moraliter bona , 2. Et quantum est ex se , ac per se loquendō , Deum diligere super omnia , 3. Nec non totam legem naturæ observare per breve tempus , 4. Sicut etiam quasdam leves temptationes vincere ; 5. Ad omnes tamen temptationes graves superandas , ad totam legem naturalem longo tempore servandam , ad Deum diu amandum super omnia , moraliter necessarium est auxilium gratiæ supernaturalis .

XIV. Homo etiam justificatus simpliciter nequit ullum actum supernaturale , seu tales , qui ad salutem pertinet & conduceat , exercere , ad quem præveniente gratia actuali non est excitatus ; 2. Hæc tamen gratia supernaturalis ordinaria non tribuit moralem potentiam omnia peccata venialia vitandi per totam vitam , sed requiritur ad hoc gratia extraordinaria . 3. Deus omnibus hominibus adultis , etiam infidelibus , largitur gratiam sufficientem ad salutem , 4. Parvulis quoque sínè Baptismo decedentibus de remedio salutis , quantum ex se est , sufficienti providit .

XV. Gratiæ efficax non consistit in prædeterminatione physica , 2. Nec in prædeterminatione morali ; 3. Sed in auxilio supernaturali de se indifferente , dato in iis circumstantiis , in quibus Deus (4.

Non per scientiam medium, sed dependenter à decreto concomitante) infallibiliter prævidet, voluntatem nostram gratiæ illi cooperaturam. 5. Sensus hujus axiomatis: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, est iste: facienti, quod est in se, non solis viribus naturæ, sed gratiæ prævenientis liberum arbitrium, Deus non denegat ulteriores gratias, quibus adjutio & salutem proxime disponatur.*

XVI. Gratia sanctificans intrinsecè non distinguitur ab habitu charitatis. 2. Effectus suos formales justificationis non causat physicè, sed tantum moraliter, & ex speciali ordinatione Divina; 3. Proin secundum entitatem suam physicam posset, absolute loquendò, stare cum peccato mortali tam actuali, quam habituali non remisso. 4. Posset quoque Deus per absolutam suam potentiam remittere peccatum mortale absque infusione gratiæ sanctificantis: 5. Vel etiam sinè ullo prævio actu peccatoris retractativo peccati,

XVII. Meritum theologicum est obsequium Deo præstitum, natum movere Deum ad retributionem præmii supernaturalis. 2. Justi bonis operibus merentur verè & de condigno vitam æternam. 3. Merentur quoque de condigno augmentum gratiæ sanctificantis. 4. Potest homo probabilius etiam primum gloriæ gradum de condigno mereri; 5. Prima tamen gratia actualis non cadit sub merito, ne quidem de congruo,

XVIII. Voluntarium est, quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva. 2. Violentia simpliciter talis causat involuntarium simpliciter & absolute; 3. Proin voluntas nequit cogi quoad actus elicitos, aut imperatos, bene tamen quoad actus imperari natos. 4. Actus ex metu gravi factus ordinariè est simpliciter voluntarius, & secundum quid involuntarius. 5. Concupiscentia antecedens subin minuit voluntarium liberum,

XIX. Ignorantia antecedens tam juris quam facti tollit voluntarium morale, 2. Idem præstat ignorantia invincibilis concomitans. 3. Ignorantia vincibilis relinquit actum simpliciter voluntarium: 4. Ut tamen actus ex ignorantia vincibili sequens sit formaliter peccaminosus, necessaria est actualis advertentia malitiæ pro tunc, quando actu ponitur.

XX. Voluntas ita est libera, ut non solum inter duo æqualiter bona, & æqualiter per intellectum proposita possit pro libitu unum eligere, relicto altero ; 2. Verùm & bonum minus præ majori , etiam ut tali per judicium practicum proposito. 3. Moralitas actuum humanorum formaliter sumpta est denominatio extrinseca. 4. Regula prima objectiva, actionum moralium directiva, non est natura rationalis quæ talis ; 5. Sed Lex Dei æterna.

XXI. Ut objectum refundat bonitatem in actum, debet honestas illius directè & motivè intendi. 2. Actus externus superaddit actui interno novam, distinctam , & sibi propriam ac formalem bonitatem , vel malitiam. 3. Inter actum bonum & malum dari potest per abnegationem utriusque extremi actus moralis medius, seu neuter, 4. Non minus in individuo, quam in genere , seu ex objecto , 5. Äquè per se, quam per accidens talis ; 6. Ita ut ne quidem imperfectionem positivam involvat.

XXII. Conscientia recta vel certa, dictans aliquid faciendum aut omittendum ex præcepto, obligat positivè. 2. Idem dicendum est de conscientia invincibiliter erronea. 3. Econtra conscientia vincibiliter erronea solum obligat negativè , ita ut stante illa quis peccet, sive agat juxta, sive contra illam. 4. Illicitum est operari cum dubio practicè pratico : 5. Licitum verò quandoque cum dubio merè speculativo ; 6. Imò etiam stante dubio speculativè pratico.

XXIII. In dubio melior est conditio possidentis etiam extra materiam justitiae, 2. Adeoque conscientia dubia potest deponi se determinandō ad eam partem, pro qua titulus possessionis stat, ita ut si libertas voluntatis possideat, licet se quis obligationi subducatur: præmissa nimurum sufficienti inquisitione de existentia legis, 3. Sive dein dubium sit de lege humana, sive Divina, vel etiam naturali : 4. Unde non datur obligatio in dubio universaliter sequendi tutiora.

XXIV. Opinio probabilis est judicium determinatum incertum, nitens motivo absolutè & respectivè gravi. 2. Ex eo solum, quod aliqua opinio à pluribus authoribus teneatur, non licet inferre, eam esse vere & theologicè probabilem. 3. Potest nihilominus etiam unicus author, si sit omni exceptione major, reddere sententiam omnimodè probabilem, & practicè tutam, etiam si hæc pugnet con-

tra communem aliorum , casu , quo is pro se habeat absolutè & respectivè gravem rationem.

XXV. Quando agitur præcisè de licentia actionis , licitum est sequi sententiam verè probabilem , non solum in occurso sententiae tutioris , & æquè probabilis ; 2. Sed insuper , si sententia opposita tutior sit simul probabilior , 3. Etiam notabiliter , 4. Æquè in materia juris Divini & naturalis , quam humani : 5. Debet tamen , & potest accedere dictamen practicum excludens omnem gravem formidinem de formalī inhonestate actūs.

XXVI. Lex positiva tam Divina , quam humana , imò & lex naturæ formaliter consistit in actu voluntatis . 2. Promulgatio publica legis humanæ non est de essentia illius , sed conditio necessaria ad hoc , ut lex obliget in actu secundo . 3. Lex Pontificia universalis , statuens jus novum , & Romæ duntaxat promulgata , regulariter obligat omnes & singulos totius orbis Christiani , 4. Etiam non expectato lapsu duorum à publicatione mensium ; 5. Dummodo promulgatio Romana sit sufficienter divulgata , aut moraliter divulgari potuisset.

XXVII. Legislator humanus potest præcipere , aut prohibere actum mixtum , æquè internum quam externum directè attingendo : 2. Quin imò etiam actus merè interni cadere possunt directè sub legem Ecclesiasticam ; 3. Non tamen sub legem civilem . 4. Omnis lex humana propriè talis obligat ad aliquid in conscientia . 5. Potest Legislator humanus etiam sub culpa theologica gravi stringere , id tamen solum , ubi materia est gravis . 6. Sub culpa levi autem obligare potest æquè in materia gravi , quam levi .

XXVIII. Nec Princeps vi directiva aut coactiva obligatur directè ad proprias leges , 2. Nec clerici directè ad leges civiles ; 3. Bene autem vi directiva indirectè , Princeps quidem ad suas , sibi tamen proportionatas , clerici verò ad illas leges civiles , quæ ob bonum commune generaliter feruntur , simùlque non repugnant statui clericali , aut immunitati Ecclesiastice . 4. Peregrini & vagi , etiam per se loquendò , stringuntur legibüs particularibüs territorii , per quod transeunt , quando materia & ratio legis est illis conveniens .

XXIX. Dispensatio absque justa causa facta in lege Superioris ipso facto est nulla : 2. Valet autem , si fiat à Legislatore in propria lege. 3. Deus non modò nullatenus dispensare valet in jure naturæ strictè tali; 4. Sed ne quidem in præceptis Decalogi secundæ Tabulæ admitti potest dispensatio Divina propriè talis.

XXX. Consuetudo rationabilis , ac legitimè præscripta , abrogare potest legem præexistentem tum Ecclesiasticam , tum civilem. 2. Ad eam requiritur consensus legalis in Legislatore , & bona fides in subditis: 3. Quare nequit introduci per actus formaliter peccaminos. 4.

XXXI. Peccatum actuale est dictum , factum vel concupitum contra legem æternam. 2. Ejus ratio formalis , seu malitia moralis non consitit in physica entitate actûs , 3. Nec in positivo morali , 4. Nec in positivo & negativo simul , 5. Neque in privatione gratiæ sanctificantis ; 6. Sed in privatione rectitudinis moralis ex lege debitæ.

XXXII. Peccatum mortale & veniale differunt inter se specie Theologica , 2. Et hoc ideo , quia mortale est contra legem obligantem ad aliquid necessarium ad finem ultimum consequendum , veniale autem contra legem obligantem ad aliquid utile ad illum finem. 3. Peccatum mortale nec in ratione malitiæ , nec in ratione offenditæ Dei , est simpliciter infinitum. 4. Peccatum veniale sive quoad culpam jam remissum , sive non , conjunctum cum mortali in damnatis non punitur poenâ æternâ sensus. 5. Idem judicium esto de peccato mortali in vita quoad culpam jam remisso.

XXXIII. Differentia specifica peccatorum proximè desumitur per ordinem ad diversas specie rectitudines ex lege debitas , quibus peccata privant : 2. Diversa autem hæc rectitudo rectè colligitur ex diversis formaliter legibus. 3. Actus physicè plures tam similes , quam dissimiles , fiunt moraliter plura numerò peccata , quando moraliter interrumpuntur : 4. Moraliter autem interrumpuntur per voluntatem contrariam , vel retractionem efficacem & absolutam ; 5. Sola tamen cessatio sive libera sive necessaria non arguit semper moralè interruptionem , & differentiam numericam peccatorum. 6. Actus malus physicè unus sive in-sive externus , tendens in plura objecta totalia & disparata numerò distincta , est moraliter multiplex

pec.

peccatum, & in confessione explicandum. 7. Idem à fortiori dicendum, si actus ille sit physicè multiplex, tametsi continuatim, & in eodem imperio fiat.

XXXIV. Peccatum habituale non involvit solam privationem gratiæ sanctificantis, 2. Nec consistit formaliter in peccato actuali ut præterito, unà cum negatione gratuitæ condonationis, & negatione condignæ satisfactionis; 3. Sed in reatu culpæ, seu, quod idem est, in obligatione passiva ad pœnam, ut proximè contracta ex actu peccaminoso.

Ex Polemica.

1. **H**omo in præsenti statu naturæ lapsæ, etiam non renatus, vel peccator, habet libertatem indifferentiæ, seu à necessitate, etiam in spiritualibus internis. 2. Dantur in eadem natura lapsa veræ ac internæ gratiæ sufficientes, quæ defactò non obtinent effectum, sed ab humano arbitrio respuuntur. 3. Gratia efficaces, quæ dantur, non tollunt indifferentiam creati arbitrii. 4. Omnes homines habent auxilium (si non semper proximè, certò remotè & mediatè) sufficiens ad vitanda omnia mortalia, & perseverandum in justitia usque in finem. 5. Omnes peccatores, etiam obdurati, habent gratiam saltem remotè sufficientem ad vitandum novum mortale, & 6. Pro tempore & loco ad pœnitendum de omnibus mortalibus, si aliquamdiu supervivant cum usu rationis post peccatum. 7. In justificatione impii peccata non præcisè teguntur, seu non imputantur, sed quoad culpam verè tolluntur. 8. Justificatio formalis non est mera extrinseca remissio peccatorum, & imputatio justitiæ Christi extrinseca, sed justificatur peccator formaliter per justitiam, ipsi à Deo infusam, & ei inharentem. 9. Est autem hæc justitia formaliter justificans qualitas quædam permanens, indistincta à gratia sanctificante. 10. Fides, non quidem illa specialis & fiducialis, quam AArii adstruunt, sed dogmatica, requiritur tanquam necessaria dispositio ad justificationem peccatoris; 11. Sola tamen fides sive ut dispositio, sive ut instrumentum non sufficit ad eam obtainendam. 12. Nullus sine speciali revelatione Divina debet, vel potest esse absolutè certus, & fide Divina credere, se esse justum coram Deo, sibi que peccata esse remissa.

O. A. M. D. G.